

servilitatem; quæ non est de ejus ratione, malus, II. 8. 7	initialis est, nec ad exequenda mandata per se idoneus; donec introducat caritatem, II. 8. 12
Triplex ab aliis poenæ æternæ timor statuitur; nec alius bonus, quam qui excludit voluntatem peccandi, II. 8. 8	Timor poenæ bonam vitam, hæc bonam conscientiam parit, ut nulla poena timeatur, II. 9. 1
Timor poenæ purè naturalis, est indifferens; excitatus à Spiritu sancto bonus est, <i>ibid.</i>	<i>Vetus homo.</i>
Neque alium vituperat Augustinus, quam qui peccandi voluntatem habet implicitam, si impunè liceret, II. 8. 9. & seq.	Observantiam legis antiquæ, veteris hominis servitutem Anomorum Apologista vocat, I. 2. 2
De timore illo poenæ purè naturali concedi potest; non vitari per illum peccatum, sine alio peccato, II. 8. 11	Vetus homo eidem est corrupta peccato natura, peccati status, & corpus peccati, <i>ibid.</i>
Timor poenæ etiam ex fide, & Christi gratia conceptus,	<i>Virtus.</i>
	Virtus est ordo amoris, II. 2. 1

F I N I S.

APPROBATIO PROVINCIALIS.

EGO STEPHANUS CHARLETUS Societatis JESU, in Provincia Franciæ Provincialis, facultatem concedo, ut liber cui titulus est, De Lege & Gratia, libri duo, à P. Dionysio Petavio compositus, & trium ejusdem Societatis eruditorum virorum judicio approbatus typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu mea subscriptas meique officii sigillo munias dedi. Flexiæ 20. Octobris 1647.

STEPHANUS CHARLETUS.



DIONYSII

D I O N Y S I I
P E T A V I I
A U R E L I A N E N S I S,
E S O C I E T A T E J E S U,
E L E N C H U S T H E R I A C Æ
V I N C E N T I I L E N I S.

P R Æ F A T I O.

QUÆ sub Vincentii Lenis suppositio nomine Theriaca nuper in lucem prodit, ad eam ariolo, & conjectore nihil opus fuit, uti nobis de vero ac germano illius auctore constaret. Nam etsi latere utcumque velle præ se tulit; non tamen ita dissimulare potuit, quin facile deprehenderetur fabuloso illius apud Aristum herois Rodomondi panè cognominis Doctor. Usque adeo geminus ille fetus est aliis ab eodem editis, quæ tum argumento ipso, tum tractandi genere, ac stilo, carnicinam hominum reddent: Nec cruentam modò lanienam & anatomen: sed, quod deterius est multò, abhorrentem ab Romana, & Catholica fidei integritate doctrinam. Cujus aliud agenti haud obcurum indicium excidit hoc ipso, quòd se Arausicanum inscripsit. Ut non tam occultande patrie causa sibi hoc præcipuè nomen assumpsisse videri possit, quam ejus, cui est addictus, testificandæ religionis, ac sectæ; quæ in Arausicana urbe principatum hodie tenent, eadem cum Armacano Butarvo de Libero arbitrio, & Christi gratia decreta proficitur. Quorum quidem patrocinium Vincentiana illa Theriaca suscepit: sed evenit adeo non secundo, uti nullus eam, vel partium earundem, sine stomacho, & contemptu legerit in Galliis, nullas dignam responsonem judicavit. Nam cum infeliciter & iratis omnibus Gratus est concepta; tum novi nihil admodum ad causam contulit, quòd momenti sit ullius: quòdque ex antistite dogmatis illius non panè verbatim deproptium fuerit; & in eo consutando, jam à nobis profugatum & eversum.

Sed quoniam talium hæc est hominum indoles, ut eadem leviter commutata, & interpolata, tamquam Sisyphi Phœrea, sæpius ingerant, & inculcent, atque ab ignavis, vel incuriosis lectoribus, hoc est majori eorum parte, quibus consulere oportet, desperatæ ac perditæ causæ confessio, silentium haberi solet; cessimus amicorum consilio, & hortationi hæcenus, ut & breviter, & ad ea solum capita glorioso illi responderemus, quæ ad nos præcipuè pertinent: quæ autem in Ricardum Doctorem, quem in eadem lucubratione est aggressus, privatim conveniunt, ea præmitterem, & illi integra refervarem, quo melior esse causæ suæ patronus nemo potest.

Legitur quæ in Vincentii Theriaca, quatenus ad me spectat, animadverti, ea quantum potero, in paucissima contrabam, sine ullo apparatu sermonis, & ornatu: ne hoc mihi iracundus homo succenseat, quòd de priori Opere nostro stomachatus est, nimium me in scribendo elegantem Latine fuisse.

Sed percommode sanè accidit, ut in istam Latinitatis, & elegantie mentionem sermo noster incurreret. Hinc enim ut Vincentii criminatio, sic hujus castigatio nostra procedet.

C A P U T I.

Inscita de Latinitate Vincentii expositulatio.

IN ipso libri aditu grave Petavio crimen obicitur, Latini sermonis elegantia. Meritò id quidem. Nam nullum Operi tam illepedo magis congruebat exordium, quam querela de nitore orationis & munditia. Quid faciās? Sic à pueris insuevere litterati homines in Gallia. Tu verò, Vincenti, ridiculus es, qui quam tibi personam imponeras Arausicani, id est apud nos nati, & educati hominis, tam malè gessisti. Nam ex stilo te tuo, *ὡς αὐτὸς ἐν Βοσπόρῳ*, statim peregrinum prodidisti. Adeo est non inconcinnus modò, sed odiosus etiam, ac *περὶ τὸν ἄνθρωπον*. Sed quam acculandi rationem præ se ferat, ta-

men interest scire. Ita à M. Tullii ore pendet Petavius, inquit, ut mutus esse malit, quàm quidquam quòd ille non prævit eloqui. Etsi hoc non magnum peccatum foret: tamen est falsum. Tu verò vel neutrum umquam, vel alterutrum non legisti. Dic mihi, vidisti apud Tullium Trinitatis nomen, aut Incarnationis, aut essentia: personalis proprietatis: attributorum Dei? Relativam item proprietatem dixit aliquando Cicero, vel substantem in tribus personis Deum, vel Patrem, Filium & Spiritum sanctum? Atqui nec mutus esse voluit in tribus tomis dogmatum suorum Petavius; & hæc innumeratæ dixit alia, quæ tu, scio, numquam in Ciceronis libris invenies. Quorum igitur attinebat tam inverecunda hyperbole, nisi ut orationis sordes qualicumque hoc schemate commendares?

II. SERMO est Petavii non malè Latinus; sed non affectatus, nec curiosè perpolitus; nec ad Prisciani regulas, aut Ciceronis normam, uti nugaris, admodum exactus.

mas: Quemadmodum intellectus per hoc, quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionum, & hoc modo movet seipsum similiter voluntas per hoc quod vult finem, movet seipsum ad volendum ea, quae sunt ad finem. Igitur voluntas ea sola ratione movetur se dicitur, quod in mediis electione versatur; non autem dum fertur in finem, quod finis est: quare proprium est voluntatis movere se, quantum liberum est arbitrium; non ut voluntas est.

V. IDEM docet in secunda partis prima parte, quaestione duodecima, & decima-tertia; ubi voluntatis, quae est voluntas, actionem, quae intentio dicitur, ferri ait in finem: eam verò, quae voluntati convenit, quae liberum est arbitrium, & est electio, circa ea, quae sunt ad finem, hoc est media, versari. * Hanc porro, cum sit praecipuum unius respectu alterius, necesse est respectu plurimum esse, quae elige possunt: & ideo in his, quae sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet. * Post haec, electionis, id est actionis propriae liberi arbitrii, contrariam esse dicit necessitatem non cogentem, sed ad unum determinantem; ejusmodi scilicet, quae voluntas eadem perfectum bonum, id est beatitudinem, expetit. Nam ex necessitate beatitudinem homo vult: nec potest velle non esse beatus, aut miser. Electio autem cum non sit de fine, sed de iis, quae sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum: & ideo homo non ex necessitate, sed liberè eligit. Haec sunt quae de libero arbitrio in Summa Theologica, hoc est opere illius postremo, ac praestantissimo, disputantur à S. Thoma. Praeter quae alia sunt non minus ad rem nostram pertinentia: sed longum est omnia complecti: ac tum ea, quae hic omiſsa sunt; tum illa ipsa, quae carptim delibavimus, plenius illic explicata legi poterunt.

CAPUT IV.

1. Eadem ratio libera voluntatis ex Aristotele probatur, tum Nemesio, Joanne Damasceno. 2. Pelagianus refutè de illa sententia probavit Augustinus. 4. Suffragatur & communis doctrina Michael Baius.

QUAE de liberi arbitrii natura superiori collecta capite attulimus ex S. Thoma, ea sunt ex Joanne Damasceno, & hoc antiquiore Nemesio, quem sub Gregorio Nysseni nomine citare conſueverat, majori ex parte deſumpta: quorum omnium fundus, auctorque est Aristoteles. Cujus, ut & Damasceni, nomen adſcripſit ad omnia ferè S. Thomas, quae de libero arbitrio tradidit. Ex hoc itaque Peripateticae philosophiae fonte hausta sunt illa, quae de voluntate hominis libera Christiana sapientia decrevit, quaeque nos capite illo anteedente, & in libris de arbitrio libero contra novi dogmatis licentiam expoſuimus. Sic enim * Aristoteles *βέλων*, id est voluntatem, quam proprie sic appellari S. Thomas docuit, ab libero arbitrio distinctam, circa finem versari dixit: * *θελαράν* verò, sive electionem, quam liberum arbitrium vocat S. Thomas, circa ea, quae sunt ad finem, de quibus videlicet deliberari, & consulti potest. Hujusmodi autem neque definita, determinataque esse debent, neque uniusmodi, & necessaria: sed contingentia, & in nobis, id est in nostra potestate sita; quorum videlicet arbitri, ac domini sumus, ut ea, vel eorum contraria capessere; ac circa haec agere, vel non agere pro voluntate possimus.

Eadem leges apud Nemesium, capite xxxiii, ac sequenti: & Maximum martyrem, necnon apud Joannem Damascenum, libro secundo, capite xxi. quorum omnium sententias, & verba ipsa descriptimus in libro primo de arbitrio libero, capite quinto.

II. IN hac ipsa liberi arbitrii notione, ac natura definienda, cum Aristotele, Catholicisque philosophis, ac Theologis; immo cum humani totius generis infitis & nativis sensibus consensere Pelagiani; nec aliter, atque ipsi de illo stantebant, sentire se non semel professus est Augustinus. Qui quidem adversus sectae illius principes Pelagium, & Julianum disputans; cum inter ipsos constitutus hic esset quaestio status; utrum homo liberi arbitrii sui viribus, sine adjutorio gratiae Christi, bene aut male agere prout libitum est possit; assertentibus haereticis, solam sibi vim liberi arbitrii suffice-

* In 1. 2. qu. 13. art. 2. * Art. 6. quaestio. nis 13.

* Lib. 3. Eth. ad Nicom. cap. 6. & 7. * Lib. 5. & 1. mag. mor. c. 18.

re; eamque necessariam esse Dei gratiam; qui ut naturae hominis, ita liberae ejusdem voluntatis est conditor; de libero arbitrio, cujusmodi ab illis agnoscebatur, his inquam, de liberi arbitrii natura, & definitione, plane est assensus Augustinus: nec de ea negotium iis fecit ullum. Sed de adjutorio gratiae tantummodo contendit; affirmans eos in ambiguitate vocabuli unius calumniari, ac sicut objicere; cum gratiam aliter interpretarentur, ac Catholici.

Julianus ecce Pelagianorum acerrimus * in libro primo Operis imperfecti, contra Augustinum vehementius insurgens, ac de liberi vi & potestate arbitrii totis viribus certamen ingressus, definiti primum postulat, quid sit arbitrii libertas; & ante omnia Ciceronianum illud usurpat: *Omnia qua ratione suscipiuntur, de aliqua re disputationem debere à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Tum illam ita definit; libertas arbitrii, quae à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis, & vitii; quod possit ex concessa sibi possibilitate, vel servare mandata, vel transgredi; vel magisterio naturali conservare jus humanae societatis, liberumque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, & virtutis summa est. Huic vicissim occurrens Augustinus, de liberi arbitrii ratione, & possibilitate utriusque partis, nihil omnino contradicit. Hoc verò reprehendit unum, quod de suo justitiam concipere idem illud arbitrium putet; hoc est quod sine necessaria ope gratiae Christi, perinde bonum amplecti posse illud, ac malum arbitretur.

III. ITEM in secundo libro de nuptiis & concupiscentia ad Valerium, capite tertio, cum Julianus quereretur, quod si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus, aut Pelagianus vocaretur; Augustinus sic eum refellit: *Non est ita ut loqueris, quicumque ita dixisti, non est ita multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium, &c. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utriusque dicimus. Non hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulus à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis regnum, ut operas proprium crimen, unde vobis inditum est nomen? Ergo liberi arbitrii dogma cum Pelagianis Augustino & Catholica parti commune fuit. Non enim de solo nomine inter illos conveniebat. Alioqui stulta, & puerilis esset ista certatio. Deinde potest id ex alia contentione partem, quae de gratia erat, certissimè colligi. siquidem de gratiae nomine ambo inter se concordēs erant; cum utriusque gratiam ad bene agendum necessariam esse faterentur. Nec tamen quicumquam dixerit, aut Augustinus unquam admisit, commune esse Catholicis cum Pelagianis haereticis dogma gratiae. Atqui de vocabulo ipso gratiae, uti dixi, inter se consentientes erant. Verum quod sub eadem voce, dispar erat, & dissimilis rei significatae proprietates & ratio, ideo multum à se mutuo distare illos, passim testatur Augustinus. Quinetiam Pelagium ac Julianum gratiae nomen identidem obrudentes, seque illam profiteri magna voce clamantes, prius explicare jubet, quid ea voce significari putent, & quam ei notionem subjiciant. Quod cum in libero arbitrio nupquam fecerit: immo verò non solum vocabulum usurpantes, sed vocabuli definitionem, potestatemque declarantes haereticos illos approbat, & ejusdem secum participes sententiae, atque hac ex parte Catholicos esse pronunciarit, quid aliud nisi caeci, ac stultè perveracēs sumus, nisi hoc agnoscerimus, Augustinum liberi arbitrii naturam, essentiam, ac notionem prorsus unam eandemque cum Pelagianis haereticis, ac tota Ecclesia Catholica statuisse? Sed hoc validissimum, & invictum penitus argumentum plenius instruximus in primo de Arbitrio libero, capite secundo & tertio. Contra quod nihil mutire est ausus Magister sui desertor ac praevicator Vincentius Araucanus, id est Araucanus, ac Batavo-Calvinianae sectae patronus.*

IV. POSTREMÒ huic ipsi liberae voluntatis formulae ab Aristotele, ac S. Thoma, post Joannem Damascenum, ceterosque Graecos ac Latinos Patres tradita, suffragatur

* Cap. 70. pag. 118.

suffragatur Michael Baius in libro de libero arbitrio: in quo multa docet nuptae isti sectae; cui occasionem aliqui praebuisse ille dicitur, vehementer adversa. Ut enim in capite quarto voluntatem liberam esse ait ad necessitatem: quae illo sic appellatur, quia qui vult quicquam, habet in sua potestate, ut quod vult etiam possit nolle; aut contra quod non vult, vel quod vult non possit. Quomodo libera voluntate vult Deus, quacumque fors operatur: ut novae hominum animas condere, pios de tentatione eripere, impios aeternis cruciatibus reservare. Et sicut apud * Matthaeum legitur, petrus Filium Patrem rogare, ut exhiberet sibi plusquam duodecim legiones angelorum: quod tamen non rogavit. Sed Pater non libera voluntate diligit Filium, ac qui illum non possit non diligere. Angeli quoque libera voluntate pro his, aut illis hominibus apud Deum intercedunt: sed felici quadam necessitate constructi Deum, atque justitiam immobiliter diligunt, &c. Ac paulò post, sed in eo, quod homines sibi bene esse volunt, inquit, & miseriam fugiunt, non dumtaxat libera voluntate: quia hoc rationalis motus necessitate retinet, aut in actu, aut saltem in habitu, & virtute.

Sunt & alia non pauca, quae ibidem de libero arbitrio, seu voluntate libera, disserit Baius, tam Calvinianae, quam Iprensi novitatis contraria, & his consentanea, quae ex Catholica fidei regula superius exposui. Verum illa quae adnotavi satis esse debent: ex quibus liberum arbitrium hujusmodi esse constat, ut ei necessitas ad unum determinans opposita sit, tamen si voluntaria, id est spontanea sit. Tum illud insuper obtinetur; amorem illum, quo vel Deus amat te, vel ab Angelis, ac Sanctis diligitur, quamvis ex intima, & ardente voluntate proficiatur, ideo non esse liberum, quod felici quadam necessitate ab illis exprimitur, nec ab eo integrum sit desistere.

CAPUT V.

1. Fucus Vincentii theriacopolis in libertatis vocabulo. 2. Hujus vocis ambigua notio, ac vera libertatis proprietates exposita. 3. Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam usurpandam, cuius nota aliquot ex S. Thoma praescripta. 4. Meritum non aliunde ori, quam ex usu liberi arbitrii. 5. Idemque laudem, & vituperium.

QUAE de libero arbitrio pauca illa summam habentem comprehensa legitur; theriacopolae artes, ac fraudes statim animadvertet; nec ejus mendacis praeconio circumventus, pro theriaca, venenum sibi induci patietur. Certè, quod capite secundo praemonui, perpetuum illius orationi sacrum, ac vocis calumniam subselle, id jam lectori non imperito perspicuum esse confido. Nam cum de libero hominis arbitrio tota Petavium ac Ricardum inter, & Novi auctorem dogmatis esset commota quaestio, exortus est iste, deploratae causae non magis patronus, quam praevicator, ac proditor, qui circulatorum more, quos theriaca institores vulgò nominant, praestigii suis conaretur illudere. Itaque contra illa, quae de libero arbitrio propria, & contractiori notione sumpto, ambo illi disputarent, nihil iste garrive admodum ausus, in libertatis incipiti vocabulo latebram quaesivit convictae ac proſtigatae Armacanorum haereticis: aut ejusdem alia generis arripuit impostoribus, & incipiti usu plerumque fallentia, de quibus mox.

II. Nunc illud observari volumus; libertatis nomen, interdum latius usurpari, ut idem sit, ac voluntarium, sive spontaneum. Ita * S. Thomas cum illud quaerit, utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat, huic, quod in primo argumento proposuerat, nihil ut appeti necessario monstraret, si aliquid est necessarium, auctore * Augustino, non esse voluntarium, ita respondet, Augustinum loqui de necessitate coactionis, non naturalis. Necessitas enim naturalis, inquit, non aufert libertatem voluntatis. Hic perspicue sanctus Doctor libertatem sumptam non propria, & angusta significatione, quae liberum arbitrium designat, hoc est voluntatem, quae circa ea versatur, quae sunt ad finem. Hanc enim cum naturali necessitate pugnare, sequente articulo docet: tum eodem illo articulo primo in corpore, ut vocant, explanat quo sensu acceptae libertati non repugnat naturalis necessitas; ac talem exprimit voluntatis actionem, quae in-

* In 1. per. qu. 1. art. 1. * Lib. 5. de civ. c. 10.

habet ultimo fini; quod ex necessitate facere illam ait: sicut intellectus ex necessitate habet primis principis. Finis enim se habet in operatione, sicut principium in speculatione, ut dicitur in * secunda Physicorum. Ut igitur non necessario omnibus assentitur intellectus, sed primis dumtaxat principis, cetera autem quae ex iis sequuntur, ratiocinando colligit: sic voluntas in solum finem ultimum naturali necessitate fertur; in ea verò, quae ad finem spectant, non necessario, sed libero arbitrio movetur. Ita S. Thomas: ex quibus efficitur libertatis nomen; quod necessitati non repugnat dicit, non esse liberum arbitrium, sed voluntatem, quae natura est, vel secundum generis notionem. Sic enim homini, non praesice quod rationalis est, sensus expertis opponitur: sed quae est animal.

Alias verò idem liberi vocem praesice usurpat, ut sit solius arbitrii liberi, & cum naturali necessitate pugnet. Ita * enim in priori secunda parte, quaestione xiii, articulo sexto; ubi illud inquit, utrum homo ex necessitate eligat, an liberè: respondetque liberè eligere, non ex necessitate. Necessitatem autem naturalem intelligit, cujusmodi est ea, quae voluntas finem ultimum, sive perfectum bonum appetit. Ergo libertas huic ex adverso respondens, idem est cum libero arbitrio, & circa ea versatur, quae possibilia, & contingentia vocat, quaeque velle, aut non velle potest; hoc est appetere, vel fugere.

III. QUAMOBREM cum sit ambigua libertatis, ut & voluntatis; liberi item, & voluntarii significatio; his omissis vocabulis, liberi potius arbitrii usurpanda vox est; praesente S. Thoma: aut si libertatis nomen adeo delectat; ea certè libera voluntatis intelligatur actio, quam bonum, malumve meritum: laus item, ac vituperatio consequitur: tum ejusmodi, ut illam voluntas hominis exercens, movere se liberè dicatur: postremo cujus domina sit, & quam in potestate habeat. Has liberae voluntatis actionisque conditiones, si ex Peripatetica philosophia praescripto, & interpretatione S. Thomae, replantator illius ac restitutor Araucanus admittit, nihil de voce pugnabimus.

Sed tanta videlicet hominis istius in scribendo aegritudo fuit, ut cum assentiri se utrique, Peripateticae Scholae, ac S. Thomae Aquinati professus esset, ubi ad rem ventum est, vel necesse se quis illorum sensus sit, vel ei dedita opera refragari, ac scientem volentemque mentiri palam ostenderit. Hoc non falso à me esse dictum facile is animadvertet, qui cum superiore libera voluntatis formula ex S. Thoma potissimum confecta, contendat illa, quae de eodem argumento Vincentius toto in libro suo disputavit. Quinam igitur fons est boni malique meriti? Audiamus quid de eo sanctus ille Doctor praescribat? * Creatura, inquit, rationalis se ipsam movet ad agendum per liberum arbitrium. UNDE SUA ACTIO HABET RATIONEM MERITI. Meriti ergo ratio ex liberi arbitrii actione petitur. Hoc autem à voluntate simpliciter sumpta, & ex necessitate finem appetente distinguitur, eodem auctore S. Thoma. Idem in articulo quarto quaestio illius centesima decima-quarta, merendi rationem duplici ex fonte proficisci ait, primò ex divina ordinatione; secundo ex libero arbitrio, inquantum scilicet homo habet praeter ceteris creaturis, ut per se agat voluntarie agens. Voluntarium porro istud non qualecumque, sed perfectum esse, demonstrat in quaestione sexta Partis ejusdem; ut supra capite tertio diximus: cujusmodi scilicet circa ea versatur, quae ad finem utilia sunt, ut ea vel adſciscat, vel respuat. Atque hoc ex articulo sexto quaestio illius intelligitur, ubi eadem duo meriti principia declarans, de secundo loquitur sic: *Alio modo habet rationem meriti, secundum quod procedit ex libero arbitrio, inquantum voluntarie aliquid facimus.* Ergo voluntarium illud ad liberum arbitrium pertinet, ètque perfectum.

IV. NON minus id ex alio * loco constat; ubi quaeritur, an credere sit meritorium: ex quo de merito, & ejus causa differens, Actus nostri, inquit, sunt meritorii, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui subjicitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum, potest meritorius esse. Et in responsione ad secundum argumentum, assensum ait scientiam non subjici libero arbitrio, quia scientis cogitur ad assentiendum per effectum demonstrationis; & ideo assensus scientia non est meritorius. Sed consideratio actualis veritate

* 2. Phys. text. 89.

* In 1. 2. qu. 13. art. 6. in corp.

* In 1. 2. qu. 114. art. 1.

* In 2. art. 9.

subiacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare: & ideo consideratio scientia potest esse meritoria si referatur ad finem caritatis: sed in fide utrumque subiacet libero arbitrio, & ideo quantum ad utrumque, actus fidei potest esse meritorius.

Eximius hic locus est, & ad multas res opportunus, ex quibus novæ sectæ licentia coercetur. Imprimis enim meriti ratio illa constituitur, qualem volumus; ut ex liberi arbitrii actione propria, id est electione pendeat, quam nulla necessitas debet exprimere: sed utriusque esse salva potestas. Siquidem libero arbitrio necessitas omnis uno aliquo circumscribens, ac determinans opponitur; non violenta dumtaxat; sed etiam voluntati blandiens, & ejus propensionem consentanea, ut ex S. Thoma superius ostendimus. Deinde cum fides initium sit iustitiæ, ac prima gratia; uti S. Augustinus passim indicat: evidens est voluntatis actionem illam, qua gratiæ initium arripimus, eique consentimus, ad liberum arbitrium pertinere, ac non modo ab cogente, sed etiam determinante necessitate longius abhorre.

V. De laude item, ac vituperatione, cujus stirps, & radix est libera voluntas, non est obscura S. Thomæ sententia. Nam cum eam sibi questionem præscripsisset, utrum voluntarium sit in animalibus brutis: ad illam decidendam, duplex voluntarium discernit; unum imperfectum: alterum perfectum, ut supra capite tertio memoravimus: horum prius inesse bestiis affirmat: quod nihil aliud est, quam *instinctum*, id est spontaneum. Posterius verò, quod est liberum arbitrium, & in his, quæ ad finem conducunt, eligendis positum est, soli homini tributum. Ex quo tertium, quod objecerat sibi, dissolvit argumentum: nempe non videri brutis inesse voluntarium, quoniam, ut auctor est Joannes Damascenus voluntarios actus sequitur laus, vel vituperium; at brutorum actus neutrum merentur. Huic ergo sic respondet; laudem ac vituperium sequi voluntarium, quod perfectam habet rationem voluntarii, hoc est liberi arbitrii. Quare sola hæc actio, quæ ab libero arbitrio profecta est, laudem, aut vituperationem mereatur. Vide quæ de hac re, ac loco Damasceni, contra Ipressem calumniam utiliter animadvertimus * libro tertio de Opificio.

Rursus liberi arbitrii, quod ea scilicet respicit, quæ ad finem referuntur, proprium hoc esse; ut per illud movere se liberè voluntas dicatur, * asserit S. Thomas. Tum etenim dominum esse sui actus hominem, & habere actiones suas in potestate, quod ex libero operatur arbitrio, * ejusdem est sententia, capite tertio à nobis exposita. Quæ sanè omnia persuadent, veram, ac propriè dictam, & ut vocant, formalem libertatis humane rationem in ea voluntatis actione collocari ab S. Thoma, quæ est attributa libero arbitrio, & circa media, eaque contingentiæ versatur; hoc est nulla necessitate definita; sed ejusmodi, ut in iis operari pro arbitrio possit: quod vulgò *indifferentiæ* vocabulo, & quidem rectè, Philosophi pariter, ac Theologi declarare solent contra inanes Novæ sectæ fremitus, & insultus: quibus innutritus Vincentius, hoc attulit ex sectæ indole, ut Catholicam allatraret fidem: illud ex seipso, & ingenio suo præstitit, ut ei, quam susceperat, causæ maximam plagam, ac perniciem inferret: quod explicare, ac probare deinceps aggrediar.

CAPUT VI.

- 1. Vincentiana de libertate contra superiorem S. Thomæ doctrinam disputatio. 2. Eiusdem falsa interpretatio S. Thomæ. 3. Refellitur ex eodem S. Thomæ. 4. De libero arbitrio ita est questio, non de voluntate. In illo vera, & formalis est libertas, non in quavis motione voluntatis: quod uberius declaratur. 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtus continetur libera electio.

DE libero arbitrio ita scripsit Vincentius in theiaca, ut si decreta illa Peripateticæ doctrinæ, ac S. Thomæ, quæ in superiora capita contuli, eventenda suspensisset, non aliter, quam ut duobus libris suis instituit, quod vellet exequi potuerit. Etenim illud unum toto in Opere contendit, ut liberi arbitrii rationem, & essentiam cum voluntate simplici, naturalique

* In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 3.

* Cap. 12. §. 11. & seq.

* In 1. 2. qu. 9. art. 6.

* In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 1.

confundat, & illud differens obscuret, atque è medio tollat, quod in Summa Theologica tam enixè princeps ille Christianæ Philosophiæ, Theologiæque constituit; qui voluntatem aliam esse docuit, quæ naturalis est, & rationalis appetitus: aliam, quæ est liberum arbitrium, & in eorum, quæ sunt ad finem, electione consistit. Ad hanc labefactandam libertatis verè, proprièque dictæ notionem multum æstuat Vincentius. Nam inter voluntatem, & liberum arbitrium, quod ad libertatem pertinet, nihil interesse putat: sed omnem voluntatis humane motionem ab arbitrio libero procedere. Itaque * quod voluntas imperare sibi, & esse domina sui actus dicitur, hoc illius proprium esse dixerit eo ipso, quod voluntas est, & natura; non autem quæ est arbitrium liberum.

* Rursus solam cogentem necessitatem libero arbitrio repugnare censet; non autem naturalem, & voluntatis inclinationi consentaneam, qualis est necessitas illa, quæ beati Deum, quem aperte contuentur, diligunt; vel quæ Deus amat semetipsum; * quam utramque liberam esse voluntatis actionem asserit.

II. Hæc cum Vincentius tum absurda, tum à Peripateticæ philosophiæ placitis abhorrentia; & S. Thomæ auctoritate damnata defendat: tamen replantatorem se esse jactat Peripateticæ sapientiæ; & auctorem habere commenti illius S. Thomæ: quo nullum fingi potest inverecundius, intolerabiliusque mendacium. Licet hoc comparatis inter se utriusque sententiis cognosceret; tum is scilicet, quas in capite antecedenti S. Thomæ deprompsimus; tum Vincentii Doctoris, quas hoc ipso, paullo antè perstrinximus. Nihil sic pugnant cum altero esse sentiet, ut amborum effata sunt, ac decreta.

Sed animadvertenda, ridendaque est callidi hominis astutia. Non enim tam plumbeus erat, ut non intelligeret, ea, quæ ex Armacanæ factionis præscripto de libertate proferebat, illis adversa esse, quæ in Summa Theologica tradita sunt à S. Thoma. Itaque confugit eò, ut dupliciter ab isto sumi liberum arbitrium diceret: uno modo, secundum essentiam; altero specieatim, & restrictius, atque hoc posteriore, vim esse dumtaxat electivam, & ea quæ sunt ad finem respicere: de quo loquit S. Thomam illis in locis, quæ ex eo collegimus. Priori verò, voluntatis actionem omnem continere; etiam illam, quæ in finem est intenta, quæque necessitatem habet adjunctam. Tam enim hanc quam illam, liberam esse, si essentialis, ut vocat, libertatis ratio ducatur.

III. Hæc qui palam eloqui, ac scriptis mandare sustinet, frontem habet aut nullam necesse est, aut omnino ferream. Quid enim, obsecro, istud est? Sanctus Thomas ibi, ubi de libero arbitrio, ejusque natura, proprietate, & ab aliis differentia agit ex professo, opere in illo omnium, quæ de Theologia commentatus est, eruditissimo, ac novissimo, duas esse dicit actiones voluntatis; unam quæ est circa finem; alteram circa media, quæ sunt ad finem: atque hanc solam voluntatis, ut liberum est arbitrium, propriam esse: priorem non esse. Addit libertatis veræ proprièque dictæ notas omnes: & eas negat in primam convenire; cadere verò in posteriorem universas. Et tam suæ famæ, ac publici de se iudicii securus existet nescio quis theiaca institor, ut de libero arbitrio aliter exillimare sanctum Doctorem asserat, quam suamet ipse voce, tot locis, tot enucleatis, accuratèque conceptis, ac repetitis verbis, & sententiis idem ille sit professus. Ostendat aliquem illius locum, quo in loco, liberum arbitrium; liberum, inquam, arbitrium (Nam de eo, ut initio dixi, inter partes orta primum, deinde scriptis, & disputationibus exagitata questio est, quando de hoc litigari ceptum est, quomodo cum liberi arbitrii consensu, & actione conciliari aspirantis gratiæ possit motio) doceat itaque Vincentius, ubinam, illo præsertim in Opere, in quo tam multa, tam expressa de argumento isto differunt, liberum arbitrium scripsit duplici illo modo accipi: aut circa finem versari liberum arbitrium: itémque necessitate determinante, ac naturali constructum, nihilominus esse, appellarique liberum arbitrium.

IV. LIBERUM, inquit, arbitrium specieatim sumptum, ita definit, non universum omnem voluntatem liberam. Est ergo voluntas aliqua libera, quæ non est liberum arbitrium.

* Lib. 2. cap. 3. v. 15.

* Ibid. cap. 6. & seq.

* Ibid. cap. 11.

* Lib. 1. cap. 12. p. 57.

* Vincent. lib. 1. c. 21.

trium. Sit ita. Nos de libero arbitrio contendimus: in quod si illa cadere solum, quæ antecedente capite percensuimus è Sancto Thoma, concedit Vincentius; causam obtinemus. Habemus enim boni ac mali meriti, laudis & vituperii, fontem in uno illo constitutum; tum cetera de movente se libera voluntate, & actiones suas in potestate, ac dominio habente, soli tribuenda sunt arbitrio libero, quale ibi descripsit S. Thomas: quæ sunt veræ, propriæ, unicæque dotes, & notæ libertatis illius, quæ in nostram deducta controversiam est. Hoc quidem concessio; libertatis, aut etiam liberæ voluntatis nomine perinde, ut volet, utatur Vincentius. Non repugnabimus. Illo enim contenti sumus uno, veram, & formalem, ut in scholis dicimus, libertatis rationem in ea voluntatis motione consistere, cui liberi arbitrii tum vocabulum, tum characteres illos, ac proprietates, S. Thomas attribuit. Sic enim hominis animus, λογισμός, id est ratiocinativus; itémque liber; & utrumque totus dicitur: quamvis neque voluntate ratiocinetur; nec mente, intellectu sit liber: sed in illa sola, libertas; in hoc item solo, ratiocinandi vis & facultas inest propriè, ac formaliter. Tum si ambo illa pressius, enucleatiusque tractemus; non se totis, ut aiunt, hoc sunt quod esse dicuntur, ratiocinativus intellectus, & voluntas libera. Si quidem intellectus duplici facultate præditus est; una, quæ principia cognoscit, itaque perspicuè cognitis assentitur necessario; atque hic intellectus, id est vis, ab Aristotele, & S. Thoma propriè vocatur: altera verò ratiocinatur, dum ex principiis cognitis ignotum aliud ratione concludit. Itaque ratiocinativus propriè, ac formaliter intellectus est postremo isto genere facultatis, sive quæ, ut loqui solent, discursivus est: & tamen universè, & in solidum λογισμός & λογισμός vis, id est rationalis appellatur intelligendi vis. Hoc autem idè sit, quod in usu rationis præcipuum bonum, ac dignationem obtinet actio illa mentis, & intelligentiæ, qua unum ex altero ratiocinando deducitur, qui σοφιστικός vocatur, & tertia mentis operatio: hujus enim gratiæ reliquæ sunt; & ad eam referuntur, tamquam ad fructum, & perfectum operis effectum: prima videlicet operatio, quæ est simplex terminorum, ut vocant, notitia; & secunda, quæ componendo, vel dividendo affirmat aliquid, aut negat, nihil ex eo tertium colligens. Propterea mens, & intellectus humanus absolute rationalis, & λογισμός nominatur; etiam dum in illa velit elementa, ac præcipua operationis incumbit. Nomen enim, à primariâ, & cujus reliquæ gratiæ sunt, operatione sortitur, quemadmodum arbor fructifera dicitur, tamen non solum fructus, sed folia quoque, florésque pariat.

Eodem proorsus modo, rationalis appetitus, seu voluntas, vi duplici, & actione censetur; ut ex S. Thoma supra memoravi; quarum una simplex est voluntas, & naturalis finis appetitus, quæ in finem ultimum claro contentu cognitur, divina ope sublevata, non liberè, sed necessitate fertur: altera, quæ in iis versatur, & hæc eligit, quæ ad finem comparata, media dicuntur. In hac liberum arbitrium, & formalis, proprièque sic nominata libertas continetur. Sed ea libertatis appellatio, vel liberæ voluntatis, totam nonnumquam appetitus rationalis facultatem complectitur; adeoque illas etiam actiones, quæ ab electione differunt; quod ad hanc comparantur, velut principalem analogiæ terminum, quod vocant analogatum præcipuum: ut est finis appetitio, quam intentionem vocant.

V. In quo etiam atque etiam illud observari volumus; quod ad Vincentii, & ejusdem farinae hominum eludendas præstigiis conferret; illum ipsam, quam vocant, finis intentionem, ἑπιπέδω Græci vocant, & ἑρεθίζω, quamdiu hic degimus, cum electione sæpius implicatam esse. Non enim hoc in statu vite mortalis, finem ultimum directæ, & perspicua cognitione percipimus, qui mentis intuitus, intuitiva cognitio nuncupatur. Itaque de fine ultimo persequendo deliberari solet, & is post deliberationem eligi, antequam idem ipse pro fine propositus, sequenti consultationi præeat, qua de eligenda illius obtinendi ratione, ac mediis inquiritur. Quod ergo generatim dicimus, finem non eligi, sed ea dumtaxat, quæ ad finem utilia sunt, id est esse explicandum, ut electioni illi non subjaceat, quæ eo proposito, ac constituto sequitur. Nihil enim prohibet, consilium haberi de finis illius assequendi modis, de

quo, an tanti esset, quæsitum ac deliberatum antea fuerit.

Quemadmodum principia, quæ in subalternantibus, ut vocant, ratione concluduntur; in subiectis, & subalternis scientiis minime probantur: sed pro demonstratis, & confessis assumuntur; & in his dumtaxat principiorum vim; & officium exercent, non in superioribus. Ut autem *δησιμονίας*, hoc est scientificæ, ut vulgo loquitur, sciri dicantur ea, quæ ex citimis illis principiis concluduntur in inferioribus, ac subalternis disciplinis, necesse est ut eorum certa veritas ex subalternantis notitia comprehensa sit, & perspicua; ac *δυνάμει*, hoc est implicite, ac virtute, in assensu, quo principium admittitur ab superiore demonstratum ac traditum, demonstratio ipsa contineatur. Sic in libertatis usu, qui ab deliberato jam, & electo sine proficiscitur, in eundem intenta finem voluntatis appetitio, virtute comprehensam habet antecedentem electionem: ob idque libera dicitur etiam propriè, ac formaliter; donec ad initium aliquod perveniatur subite, minimèque deliberatæ motionis, à qua liberarum progressio deinceps orta ducatur.

Hæc adversus Armacana commenta multum notasse profuerit. Hinc enim Vincentiani Operis, & doctrinæ labes, ac ruina consequitur: cujus in sequentibus specimen aliquod exhibebitur. Nam ad omnia singulatim errata castiganda, mihi nec otii modò, neque stomachi est satis.

CAPUT VII.

- 1. Liberi arbitrii essentia perperam ab Vincentio definita. 2. Quæ refutatur. Imperium in quo sumum sit. 3. Quomodo voluntas movere se dicitur. 4. Voluntatem sibi non imperare propriè.

IN priori theiaca parte toto in hoc unum studio Vincentius incumbit, ut ab communi, & sanè Catholica liberi arbitrii notione Lectorum abducatur animos, & ad alienam, ac falsam transferat. Hæc autem est ejusmodi, & iis ab eo concepta verbis. *In modo agendi, inquit, ἡγεμονικῶν, quæ voluntas seipsam movet, & actum suum sibi imperat, consistit essentialis ejus libertas. Unde istam libertatem omni actu suo voluntas infundit, quem esse seipsa, & directione rationis elicit.* Ac ne quem ambiguitate fallat; cum dicit, liberum esse actum omnem voluntatis, quem directione rationis elicit; non hoc significat, quod Peripateticis, & cum Græcis, Latinisque Patribus, S. Thomas asseverat, illum solum propriè, & ut loquuntur, formaliter esse liberum, qui ex deliberatione, & consilio rationis elicit; qualis est ἡγεμονικός, id est electio: quæ ideo abhorret à necessitate qualibet; eo quod consilium circa contingentiâ, & utrimque ad eligendum proposita versatur. Verum omnem proorsus actionem voluntatis, etiam necessitate circumscriptam, ac determinatam, liberam appellat; ut ex toto Opere licet cognoscere. Ut cum ita scribit, ** non posse dari propria, & rationalis voluntatis actum qui liber non sit.* Et paullo antè, *Ubi voluntas, ibi libertas: & quidquid ab ea, ut voluntate, & appetitu rationali procedit, ab ea ut libero arbitrio procedit, adeoque liberum est.* Quæ sententiâ nulla magis adversaria potest esse Sancti Thomæ decretis illis, quæ supra commemorata sunt; ubi liberum arbitrium ab voluntate, quæ voluntas est, & appetitus rationalis, discerni jubet. Ad hæc Vincentius necessitatem naturali consentaneam inclinationis cum vera libertate putat consistere: & amorem utrumque, tum Dei, quo se ipse diligit: tum beatorum, quo Deum amant, esse liberum arbitratur. Item alia pleraque ad idem disputat argumentum, quæ libertatis, ac liberi arbitrii naturam, & essentiam longè diversam ab ea constituant, quam ex Aristotelica, Christianaque philosophia superius adstruximus: quæ res postmodum liquidò constabit.

II. Quo vnum agit, demonstrare hoc institutum, primo illo in aditu disputationis; largè, ac pueriliter aberrasse Vincentium, penitusque necesse quid scriberet.

Primum quale istud est, quod libertatis, & ut putat, liberi arbitrii essentiam in modo agendi ἡγεμονικῶν sitam asserit; quæ seipsam movet voluntas, & actum sibi suum imperat?

* Lib. 1. c. 3. p. 13.

* Ib. p. 15. ver. 8.

* Ib. c. 11. & seq.

In 1. 2. Imperandi actus, si S. Thomæ creditur, rationis est, sive vñ, & intellectus, in quo ñ hysusmodi à Philosophis ponitur. Satin' igitur putidum est, liberi arbitrii essentiam in eo collocare, quod extra voluntatem est, & in altera facultate residet?

Præterea, imperare, ut idem S. Thomas ait, est ordinare ad aliquid agendum, hoc est ad finem, ut in sequente articulo docet: ubi non inesse brutis imperium ex eo probat, quoniam ad finem ordinare nequeunt. Quæ autem ad finem ordinantur, ea sunt, quæ medio vocantur: in quibus quæ versatur actio voluntatis, electio dicitur. Hæc autem non omnis est, & qualicumque voluntatis actio, sed certa dumtaxat, & definita: quæ circa contingentia, utrimque inter se comparata consistit, ac proinde minimè determinata, & ad unum contracta, cuiusmodi necessaria sunt.

III. Eodem spectat, quod movere se voluntas dicitur. Id enim eatenus voluntati convenit, auctore S. Thomæ, quæ mediū respicit. Ac sunt nonnulla illo in loco, ubi istud asserit, quæ Vincentii dogma convellunt. * Ibi cum quæsierit, an voluntas ab aliquo exteriori principio moveatur; ita respondet: moveri primum ab objecto: tum etiam quod ad exercendum actum attinet, necessariò moveri ab externo aliquo principio. Omne enim, quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non veller: necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem, sicut dictum est, ipsa movet seipsam IN QUANTUM PER HOC, QUOD VULT FINEM, REDUCIT SEIPSAM AD VOLENDUM EA, QUÆ SUNT AD FINEM. Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit; & per talem cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medicum: & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inciperet velle sanari ab aliquo movente: & si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret, ex aliqua voluntate præsupposita, hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quod in motum voluntatis voluntas procedat ex instinctu alicujus exterioris moventis.

Hinc apparet, voluntatem non semper movere se, nec omnem illius actionem ex illa sui motione procedere: sed in finem plerumque ferri, in finem aliena quadam impulsione: tum autem movere se, cum post finis appetitionem, & consultationem de ejus assequendi modo; ex non volente, per sese fit volens ea, quæ ad finem utilia judicata sunt.

Quin * alibi de imperio agens, affirmat, non omnem actum voluntatis ex illo proficisci, sed cum solum, qui rationi subditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est: sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ; & idem non oportet quod in infinitum procedatur. Falso itaque Vincentii Theriacæ actum omnem voluntatis liberum esse vult, & eundem ab movente, ac sibi imperante voluntate procedere.

IV. PRÆTEREA si essentialis voluntatis libertas in eo posita est, quod illius imperator actio: nec ulla est voluntatis actio, nisi libera: quia voluntas idem est cum libertate, ut Vincentius existimat: erit ipsa sibi imperans, & serviens eadem profus actione. Nam imperandi actus ille, quia fit ab voluntate, carere non potest eo, in quo voluntas, & libertatis posita est essentia. Est autem in eo sita, ut imperetur. Imperari ergo debet: aut alio ac diverso actu; aut seipso. Si prius dicatur, res in infinitum exibat: donec in aliquo consistat, qui ex nullo imperio prodeat: & is tamen ex voluntate fiat. Quare voluntatis alicujus actus ex imperio non existit: & idem erit imperium, & imperatum. quod ad aperta contradictionem & infirmitatem implicatur.

Nam * quod modum illum agendi libera voluntatis, quod sibi ipsi voluntas imperat ut velit, divinum appellat, non videt quàm imperiè, immò impiè loquatur. Est enim ex eo consequens, divinæ voluntatis actum, & quidem interiorem; & electum, ex justis, imperioque procedere. quod & isdem featur absurdus, quæ paulò ante notavimus: & cum id omne, quod intimum est Deo, & in eo manens, Deus sit, ex imperio ac præcepto Deus existit.

CAPUT VIII.

1. Absurda consuetudine Vincentianæ doctrinæ. 2. Ex ea sequi omnem voluntatis actionem esse liberam, etiam in amantibus & parvulis.

VERUM ut quam latè diffusa sit illa Vincentianæ doctrinæ perniciosa quisvis intelligat, quantàmque fidei Catholica calamitatem & stragem inferat, quid ex ea sequatur operæpretium sit expendere: & quæ supra sunt ex ejus verbis approbata colligere.

In id potissimum Operis totius doctrinæ conspirat, ut voluntatem eandem esse ponit cum libertate suadeat, adeo ut * voluntarium pro libero, voluntas pro libertate, nullo inter ista discrimine, interseretur. Quippe S. Augustini philosophia libera est, eo ipso, quo est voluntas: quod ipsum & de libero arbitrio intelligendum asserit * in fine capituli: ubi ait voluntatem, & liberam voluntatem, & arbitrii libertatem, & liberum arbitrium pro uno & eodem usurpari, inter seque converti. Quod ex Augustini, aliorumque Patrum sententiis * probare studet, qui absolute ubi voluntas est, ibi libertatem esse pronunciant.

Hujus porò libertatis, sive arbitrii liberi ac voluntatis essentiam in eo consistere * docet, quod voluntas suum actum sibi imperet, non cum solum, qui ab facultatibus, jussu, & imperio illius exercetur, quæque imperatur vulgò in Scholis dicitur: sed etiam elicitum, & in voluntate ipsa manentem. si quidem * actum suum sibi imperare voluntatem, & illum efficiendo, ei dominari dicit; & in eo libertatis essentiam esse positam: nec non id, quod voluntatis proprium est, & in quo brutis ab animantibus discrepat, ut sese ipsa moveat. Movet ergo se, & interiores, ac manentes in se actus eo ipso sibi imperat, quo libera est, & arbitrium liberum; in eoque vera, & essentialis, ac formalis est posita libertas.

Quinetiam * capite sexto, scribit, imaginem divinæ libertatis esse in voluntate hominis, quia sicut Deus in amando & volendo est sui juris, & in affectus suos alioquin modo sine imperfectione jus, & imperium exercet: ita etiam voluntas humana, jus simile, est longè inferior, & à jure divino dependens, in actiones suas elicitas habet. Ob eandem causam, * capite nono, libera voluntatis actum elicitum, etiam imperatum esse dicit, ideòque reflexum, quatenus actum suum sibi voluntas imperat.

Capite verò decimo, essentialis voluntatis libertatem, adeoque liberi arbitrii in eo collocari ait, quod cogi non possit, quam elegantiarum pater incogitabilem nominat, * quæ necessitati illi, vel coactioni est opposita, quæ perimii arbitrii voluntatem: & quam brutis animantibus inesse, capite XIII. latius ostendit. Hæc summa est Vincentianæ philosophiæ; quæ cuiusmodi portenta pariat, paucis explicabimus.

II. Hinc enim consequens est imprimis, omnem profus voluntatis actionem liberam esse, & arbitrii liberi propriam; cuiusquemodi tandem ea sit; hoc est sive necessitate fit expressa; sive ex deliberatione, & electione libera prodeat: sive ex intellectus arbitrio; sive ad unum aliquid considerandum, & judicandum vis illum rei objectæ compulerit: ac denique quidquid phrenetici, amantes, & parvuli voluntate gesserint, id erit arbitrio libero tribuendum. Nam si omnis actio voluntatis eo ipso, quo voluntas est, libera est, & liberi arbitrii propria; si, quod * Armacanus sectæ Patriarchæ scivit, implicat contradictionem, ut voluntas non sit libera, sicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus; hoc est ut voluntas non sit voluntas cum phrenetici, ac mente capti, & qui nondum expectatum rationis usum habere dicuntur, voluntate rationali appetant multa, quæ non appetent, nisi ratione appetenda judicarent: profectò quidquid agunt, id liberè, & ex arbitrio agunt libero. Quod enim natura instituit, & essentialis rei est, sine eo res esse non potest, & ea posita, necessariò ponitur. Atqui omnis actio eo ipso libera est essentialiter, quo fit à voluntate, & est ejus vitalis, & naturalis actio. Quare cum quod phrenetici volunt, id voluntate velint, & vitalis ea sit actio voluntatis,

VINCENTII LENIS. CAP. IX.

voluntatis, nec sine rationis & intellectus judicio procedat, ut * Vincentius ipse confitetur, essentialiter libera sit oportet, & ab arbitrio libero profectà: siquidem omnis voluntas, sive volitio, eo ipso libera est, & arbitrii liberi propria, quo est volitio.

III. TENETUR itaque suapte confessione contritus, & irretitus tum Armacanus, tum Armacani affectator Vincentius. Qui enim omnem voluntatis motionem, eo ipso, quo est voluntas, liberam esse dicit: qui voluntatem, libertatem, & liberum arbitrium, rei ejusdem esse propria vocabula putat, hic, si qualicumque ratione, ac judicio utitur, quidquid voluntate volumus, liberè nos, ac libero arbitrio velle fateri debet. Alioqui si voluntate appetunt aliquid homines, quamlibet malè affecti, tamen homines; profectò non omnis voluntas eo ipso, quo voluntas est, erit libera. Existunt enim alique voluntates, hoc est actiones voluntatis, minimè liberæ, quibus nihilominus libertatis essentia convenit. Ut enim vitalis omnis actio, quæ ab videndi sensu proficiscitur, visio est, & essentiam hujus habet: quoniam genus nullum aliud actionis visus exercet, præterquam visionis: ita quoniam ex Armacanorum sententia; volendi facultas, quanta quanta est, nihil est nisi libertas, & arbitrium liberum; quæcumque illius erit actio, libera sit necesse est, & cuiusmodi liberi esse debet arbitrii. Vide in quas angustias sua illos malè cogitata ratio compulerit. Nonne isti sunt, qui voluntatis duplicem illam functionem à S. Thomæ, Peripateticisque omnibus admittunt, ut alia sit naturalis, & necessaria; alia libera, & liberi arbitrii propria, funditus respuerunt? Nonne cum idem illi voluntatem aliàs pro natura sumi, & eo quod spontaneum dicitur; aliàs pro libera facultate docuerint; isti nihil præter libertatem, & liberum arbitrium voluntati reliquerunt?

CAPUT IX.

1. De necessitate opinio S. Thomæ. 2. Huic contrariam suam Vincentius, qui omnem necessitatem arbitrio libero adversam vocat coactionem; adeoque duplicem constituit, sed perplexè, & obscurè. 3. Diluitur Vincentianæ sententiæ cavillatio. 5. Malè ab eo necessitas cogens explicatur. 6. Et resellitur ex eisdem, quos citat, auctoribus.

QUONIAM autem præcipua Vincentii, ac totius sectæ cavillatio, in definienda necessitate, quæ est opposita libertati, posita est, interest scire, quæ sit illorum de necessitate ista sententia; quæ nihil est profectò apud eos intricatius, & incertius: adeo multis involucris rem minimè alioqui difficilem obscuræ, vel de industria student: vel propter inextricabiles laqueos, in quos incauti se induerunt, necessitate coguntur. Sed antequam illorum, & Vincentii præsertim, tortuosos amfractus, & labyrinthas ambages aperiam; communem, usque receptam doctorum omnium, & hæcenus traditam notionem necessitatis exponam; ut sit lucis instar, cujus ope per opacas illas insidiosas tenebras tuta, & certa vestigia ponamus. Hanc faciem nobis præferat idem ille, quem Peripatetici, & Christiani de libertate decreti interpretem communi consensu partium adhibuimus, S. Thomas Aquinas. Hic cuiusmodi res sit necessitas, tum univèrsæ, tum quæ libertati est opposita, declarat illo in loco Theologicæ Summæ, quem supra capite tertio disputationi nostræ præscripsimus.

Ibi necesse definit, quod non potest non esse: quod videlicet contingenti contrarium est. Hoc enim contingens dicitur, quod tam potest esse, quàm non esse. Porò necessitatem dividit in naturalem, quæ est secundum inclinationem naturæ: & violentam, sive coactionis, quæ est contra inclinationem naturæ. Prioris exemplum capit cum voluntate, quæ necessariò inhaeret ultimo fini: * nimirum per essentiam, id est perspicuè, cognito. Eademque necessitas in brutis inest animantibus, * quæ ex naturali agunt judicio, sed non libero, quia ex natura instituta moventur in finem.

II. AT * Vincentius imprimis, coactionem, & necessitatem in hac liberi arbitrii materia idem profus significat, ac violentiam. Deinde * hanc ipsam necessitatem, vel coactionem bifariam tribuit. Nam aliam dicit esse, quæ premittit naturalem arbitrii libertatem: aliam, quæ perimit.

Prior autem ideo non aufert voluntatis libertatem, quia relinquit ei motum suum voluntarium, quo sub prementis; non opprimit necessitate, ex judicio rationis, & utendo potestate illa dominatrice, se movet. Tantum ergo abest ut voluntatem opprimat, ut etiam voluntatem ad exercitium sua libertatis inclinet, dum ad eliciendum actum voluntarium eam premit. Quod enim voluntarium, & liberum.

At posteriorem, libertatis peremptricem, sive coactionem, & dominantem, quæ libertatem actus, in quem impellit, extinguit, non sinere ait voluntatem potestate sua imperatrice uti, ut motu suo seipsam agat, & in necessitatem demittat, sed eam quasi ante se duriter impellere, & perinde ac appetitum brutorum, precipitare. Tum * repugnavit modo illi, quo voluntas seipsam agit.

In hac Vincentii incondita, & tenebrosa disputatione non est facile discernere quid sibi velit: sed eo tamen utcumque pertinent ambages illæ morosæ orationis ac streperæ, ut sit necessitas triplex; una, quæ violenta, & coactiva propriè dicitur, * cujus principium extrinsecus est, nihil eo conferente quod patitur. * Secunda quæ naturalis est quidem, sed ideo violenta dicitur, quia impetu quodam effreni naturam agit præcipitem; ita ut non se agat, & moveat: qualem esse ait in brutis necessitatem cogentem. Tertiam necessitatem naturalem itidem appellat, quæ relinquit naturæ motum suum voluntarium.

III. QUæ in Vincentii descriptione permulta sunt falso, nec satis consideratè dicta. Horum illud est primum, quod coactionem & necessitatem in hac liberi arbitrii materia idem profus significare asserit. Quod non est ita. Nam plurimum inter se differunt, ejusque differentia ratio nec parva, nec infrequens habetur: ut cum liberum aliàs cum necessario simplici; aliàs cum violento comparatur. Diceret potius; promiscuè nonnumquam accipi, ut necessitas naturalis interdum coactio vocetur quadam nominis abusione. Siquidem etiam in his quæ liberè, & ex libero arbitrio sunt, cogi tamen dicuntur homines, non solum cum inviti ac repugnantes agunt: sed etiam cum ex vehementi impetu animi, vel in habitu roborata cupiditate trahuntur. Quod ipsum de brutis quoque dicitur, non propriè; sed non repugnans; cum revera non violentia cogantur ulla, sed in illa sponte ferantur, quæ sunt eorum naturæ consentanea. Præterea ridiculum est, quod ait, necessitatem, seu coactionem priorem, idcirco non perimere libertatem, quia non aufert voluntarium; tamquam idem sit voluntarium, quod liberum, eo videlicet genere libertatis, quod propriè dicitur, & de quo inter nos orta questio est, idemque est cum arbitrio libero. Est ea quidem istius sectæ nova, & absurda sententia, omne quod voluntarium est, esse liberum. Sed huic adversatur Peripatetica philosophia: cujus ex placitis S. Thomas voluntarium illud esse * dicit, quod est à propria, & naturali inclinatione ad finem notitia aliqua perceptum; cuiusmodi in brutis inest animantibus, & parvulis. Hoc autem est, quod ab Aristotele in istis dicitur, & vulgò spontaneum appellat.

IV. ITAQUE non solum contra Peripateticæ sapientia, sed etiam adversus communem humanitatis sensum Nova secta contendit, necessitatem illam, quæ naturalem propensionem trahit ad finem, vim esse cogentem, ac violentiam; ejusque de brutis capit exemplum, quorum appetitus precipitatur, ac duriter impellitur. Atqui voluntarium illud, cujus participes sunt pueri, ac bestia, ibi maxime spectatur, ubi jucundis rebus objectis, non invito, neque violentè, sed sponte, ac voluptate trahuntur. Sic enim Augustinus, * Ramus, inquit, viderem ostendis viti, & trahis illam: Naes puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando trahitur.

Nam quod subjicit, idcirco perimi libertatem hujusmodi necessitate; quia non finit hac voluntatem potestate sua dominatrice uti, ut motu suo seipsam agat: manifestè demonstrat, eatenus libertati contrariam esse necessitatem naturalis inclinationis, quia libero repugnat arbitrio, sive potestati utriusque, quæ in his quæ sunt ad finem, hoc est media, versatur. Hanc enim esse, quæ & imperatrice vi uti voluntatem, & seipsam agere, ac movere dicitur, * supra docentem S. Thomam audivimus. Quò & cetera ejusdem pertinent: velut, ea, ad quæ naturaliter inclinamur, non subesse libero arbitrio. Hinc enim evidens est, naturalem illam necessitatem

In 1. 2. art. 1. & 4.

1b. art. 2.

In 1. 2. qu. 9. art. 3. & 4. 1b. art. 4.

1b. art. 3.

1b. qu. 17. art. 5. ad 3.

Cap. 1. p. 9. ver. 16.

Lib. 1. c. 3. p. 13.

1b. p. 15.

1b. p. 16.

1b. p. 17.

1b. d.

1b. p. 13.

1b. p. 24.

1b. p. 31.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. p. 37.

1b. c. 1. p. 60.

Arist. 3. Ethic. 1. Vincenti lib. 1. c. 13.

S. Tho. in 1. 2. qu. 6. ar. 2.

1b. & Arist. 3. Nicom. c. 4.

1b. p. 37. in Joan.

1b. p. 37. cap. 31. & 7.